



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 42ra-42va
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 18 quaeritur utrum in materia corporali sint aliqua rationes seminales.

Videtur quod non, quia semen est principium activum, sed in materia non est aliquod principium activum, sed passivum, ergo in materia non est ratio seminalis.

Praeterea. Ratio importat aliquid secundum esse spirituale, sed in materia corporali non est aliquid spiritualiter, sed corporaliter tantum secundum modum eius in quo est; ergo in materia corporali non sunt rationes seminales.

Contrarium dicit Augustinus III De trinitate, quod omnium rerum quae corporaliter visibiliterque nascuntur occulta quaedam semina, latent in istis elementis huiusmodi.

Ad evidentiam huius quaestionis sunt duo videnda. Primum est quid sint illae rationes seminales existentes in rebus. Secundo tanguntur quaedam obiectiones et dubitationes quorundam contra dicta. Circa primum sciendum quod cum nomen seminis sit sumptum ex ipsis viventibus rebus, in quibus semina sunt principia generandorum, tractum est nomen seminis ad omne id quod rationem principii habet. Unde et semen dicitur virtus activa patris et etiam virtus passiva matris. Unde proprie quod habet vel habere potest rationem principii sive activi sive passivi dicitur ratio seminalis. Et ista sunt ex parte materiae habilitas ipsa sive potentia passiva ad formam quae ipsi materiae inest in sui creatione. Ex parte autem formae ipsa virtus agentis consequens formam ipsius agentis. Et illa proprie dicuntur rationes seminales, quod patet secundum interpretationem Philosophi et eius Commentatoris. Sicut enim dictum est, illud proprie in re est ratio seminalis quod habet rationem principii respectu naturalium rerum. Modo secundum Philosophum XI Metaphysicae, efficiens et materia, in qua sunt habilitates potentiae ad diversas formas sunt causa multitudinis rerum, quod sic est videre, quia cum agens naturale producit sibi simile in natura, oportet quod hoc sit per transformationem et alterationem, quae alteratio per formas accidentales habet fieri, ita quod necessitatur in fine alterationis materia summe disposita ad receptionem formae introducendae et illa habilitas et potentia materiae quae oboedit agenti praedominanti naturali potentialitati materiae; ut eam reducat ad actum suae formae secundum speciem, est potentia passiva huius materiae. Et quia nulla una forma perficit totam potentialitatem ipsius materiae naturalis, ideo in materia relinquunt multae habilitates et potentiae ad diversas formas, quarum nulla perficit appetitum materiae nisi respectu sui ipsius. Et ideo /42rb/ Commentator ponit materiam esse plures secundum istam habilitatem et potentiam. Illud autem quod Philosophus vocat habilitates, beatus Augustinus dicit rationes seminales, quia scilicet sunt virtutes activae ipsorum agentium cum propriis passivis.

Modo sunt aliqui moderni qui hoc negant et dicunt quod rationes seminales in materia sunt formae existentes in materia secundum esse incompletum et inchoationem quamdam et dicunt quod in materia ratio formarum inducendarum est potentia activa, per quam in actum formae reducuntur. Et ad hoc adducuntur multae rationes.

Prima talis est illud quod nullo modo est in alio, non potest de eo educi. Constat autem quod formae naturales educuntur de potentia materiae, ergo in ea prius erant secundum aliquod esse incompletum.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 42ra-42va
transcribed by Andrea Colli

Secunda quia aliter nulla generatio esset naturalis, sed violenta, quia violentum est cuius principium est ab extra nihil conferente vim passo, ergo forma prius erat in materia secundum aliquod esse incompletum.

Tertio hoc ostendunt, quia si nihil formae est in materia, constat quod ipsa sit de nihilo. Hoc autem omnes philosophi horruerunt ex nihilo aliquid per generationem produci. Unde dicunt quod potentia activa differt a privatione, quia privatio prius dicit carentiam formae et postea aptitudinem ad eam. Sed ista inchoatio formae e converso primo dat aptitudinem ad formam completam, secundo carentiam talis formae; addit etiam quod ista potentia activa coagit agenti exteriori producti eam. Sed nec ista positio est secundum se bona, nec rationes valent.

Primo quidem quia si ponitur forma incompleta in materia, quaero de illa forma existente sub actualitate incompleta : aut tota est forma aut pars formae. Si dicatur quod sit pars formae, tunc sequitur inconveniens, scilicet quod ipsa forma substantialis completa composita est ex multis partibus, quod nullus dicit. Si autem sit tota forma, ergo si ex aqua fiat ignis in materia aquae, prius erat ignis secundum suum esse specificum, quo posito sequitur multa inconvenientia, secundum hoc enim generatio non esset nisieductio de occulto in materiam.

Item quod omnia essent in omnibus.

Item quod aqua esset antequam esset.

Si vero dicatur quod gradus activitatis non sit forma, nec etiam pars formae, sed sit quoddam esse formae incompletum, tunc sicut forma accidentalis suscipit magis et minus, ita et forma substantialis, quod non est verum. Ideo illa positio non potest habere veritatem.

Ad argumenta in oppositum dicendum ad primum quod semen maris est principium activum in generatione animalis, sed potest etiam dici semen illud quod est ex parte materiae, quod est principium passivum. Et sic sub semine comprehendi possunt vires activae et passivae.

Ad secundum dicendum quod huius virtutes activae et passivae rerum naturalium, et si non possunt dici rationes, ut sunt in materia corporali, possunt tamen dici per comparisonem ad suas origines, ut educuntur a rationibus ideabus.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum anima humana immediate producat a Deo vel producat in esse mediantibus angelis.

Ad evidentiam huius quaestionis sunt duo videnda. Primo ostenditur quod ipsa anima ex semine creari non possit. Secundo ostenditur ex hoc quod immediate a Deo producat.

Primum patet sic. Quia omnis forma quae educitur in esse per transformationem materiae et seminis decisionem est formaeducta de potentia materiae, hoc enim est materiam transformari de potentia ad actum reduci. Anima autem non potest educi de potentia materiae, ergo nec per transformationem materiae potest produci. Minor declaratur, quia nulla virtus activa agit ultra suum genus. Sed constat quod anima intellectiva transcendit omne genus corporum, cum operationem habeat super omnia corpora elementa, quae est intelligere. Ergo nulla virtus corporea animam intellectivam producere potest.



University of Cologne
Department of Philosophy
Thomas Institute



This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XVIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 42ra-42va
transcribed by Andrea Colli

Secundo hoc idem patet sic. Quorumcumque enim principiorum operationes non possunt esse sine corpore nec eorum initium potest sine corpore esse, sic enim res habet esse, sicut operatur. Et e contrario quorumcumque principiorum operationes sunt sine corpore eorum generatio non est per generationem corporis. Operatio autem animae nutritivae et sensitivae non possunt sine corpore esse. Sed operatio autem animae intellectivae non sit per organum corporeum, ut supra declaratum fuit, ergo anima nutritiva et sensitiva, etsi per generationem corporis generentur, tamen anima intellectiva per operationem corporis non generatur. Sed traditio seminis ad generationem corporis ordinatur, ergo nutritiva et sensitiva esse incipiunt per seminis traditionem non autem anima intellectiva. Ex hoc patet quod immediate creatur a Deo: omne enim quod in esse producitur vel generatur per se vel per accidens vel creatur. Sed anima humana non generatur per se, quia quod per se generatur est compositum ex materia et forma, quod animae non convenit, ut supra visum est.

Item non generatur per accidens. Cum enim sit forma /42va/ corporis, si per accidens generetur, per generationem corporis generaretur, quod modo improbatum est, quia omnis talis generatio per virtutem seminis est. Cum igitur ipsa anima de novo incipiat esse, quia non est aeterna nec praexistit ante corpus, relinquatur quod exeat in esse per creationem. Ostensum est autem supra quod ad solum Deum pertinet creare, ergo anima intellectiva a solo Deo producitur.

TEACH